



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

32. [14.] Summa in itinere Indico paupertas Xauerj.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**

animo lustremus, quocumque horum peruenit sonus hominum Apostolicorum, censeamusque si possumus populos quos Christi retibus concludere, omnes ab hac Petri nauicula profectos agnoscemus; ac laborum quidem ab iis susceptorum, tam felici prouentu, ut nunquam Roma Imperij sui faucibus tot gentes domuerit, quot Ecclesia Rom. Christi Prædicatione deuinxit. At enim eorum quos Petri sedes in eam piscationem destinauit, nemo tantis promouit spatiis, nemo eos attingit limites quos patrum nostrorum memoria Xauerius calcauit: qui à Paulo III. ad Insulas, & remotissimas Nationes ire iussus, expanso in vltimum Orientem reti, inuoluit piscium tam innumerabilem copiam ut crebore fociis cogere inuere quò ad opem ferendam accurrerent. Proinde Xauerium (Beatissime Pater) è sua illa piscatione Orientali faustissima, redcem excipe, tanta populorum, tribuum ac linguarum multitudine stipatum, ut iniri earum non possit numerus, agnosce; nauicula Petri, quanta sit virtus, & efficacia; quantum possint illius retia; quam fructuosa fuerit piscatorum suorum industria, &c.] Hæc illi à me ex Italico reddita, quòd ipsissima eorum latina verba, non potuerim reperire.

32.  
Summa in itinere Indico paupertas Xauerij.

Nauigaturo igitur quamprimum Xauerio, Castaneria Comes Ataidius, classis procurator quà suo prope instinctu, quà Regis mandato, prolixè omnia detulit, rogauitque sibi scripto tradi quæcumque ad iter, vsui futura crederet; quod & alij factitabant qui Regis sumptibus erant in naues imponendi. Verùm Xauerio qui nihil cuperet, quærendum nihil fuit, orta que hinc miræ comitatis, inde humilitatis sanctæ pulchra contentio, virgente Ataidio ad vsum regie liberalitatis; obstante Xauerio, ne sibi thesaurus sacræ paupertatis immineretur, in quo vno haberet omnia, proindeque re nulla egeret. Ne quid tamen illa virtutis constantia superbum oleret, aut fastidiosum, flecti se denique passus est, ut pios aliquot ab Ataidio libros admitteret; sibi que, ac fociis duobus Paulo Camerti, & Francisco Mansilla gauisapina singula, crassiori opere ac vili coacta quibus post promontorium bonæ spei, aduersus immania frigora se munirent: tam pauca Comes pro nullis habuit; institit igitur humanissimis precibus, ne abnueret saltem familiarem seruulum; id enim vero, si minus ad vsum, necessarium certè ad dignitatem esse: fore id denique Apostolico Nuntio maxime indignum, si cum nautica, & vectorum fœce, pannos eluere spectaretur, & communem ad focum, cibos sibi cum iis coquere: crediderat. Comes vbi precibus non dabatur locus; datum in decoro, & rationibus, ex eo in speciem, & ab dignitate Officij petitis; re autem ipsa ex Philosophia inani, etiam in diuinis Magisterium affectante, in quibus ut ait Apostolus, tam stulta est, quam stulta illi, tametsi falso, Christi sapientia videtur. Itaque responsione hac Comiti satisfecit; non sibi modò, sed quibuslibet etiam qui erant in nauicula ministeria præstiturum; non posse illa nisi ex pretij ignorance, haberi vilia, nec dedecorare Nuntij dignitatem. Quod enim adderet, plus nimio abiectionis sublimitatem eius gradus, istiusmodi cautiones de inanitate produ-  
ctas



Etas fumo eò rem Christianam redegisse vbi tunc miserè iacebat. Hinc vero postea classis Procurator abstinentiam hanc Xauerij prædicans plus sibi iactabat fuisse negotij ad perpellendum Xauerium, ne paucos libellos, & rusticas penulas ingeitas reiiceret, quàm ad explendam aliorum, nunquam satis expletam cupidinem. Hoc ergo tantulo, ad tantum iter instructus Xauerius, S. Iacobi Prætoriam conscendit, in qua illum secum Alfonso Martinus de Sosa, Indiarum Pro rege Gubernator habere voluit, tandem anno 1541. Aprilis 7. passis è Tago velis in altum mare autis adflantibus classis mouit.

15. Gauli regij maiores quos Lusitania ad Indos, vasto committit Oceano, tam capaci sunt mole, vt portent panè integros populos, præter pondus immensum mercium. Natarchos enim, & turbam nauticam; milites arcium præsidiatios; ministros regios, iisdem præfectos arcibus; & suis plarumq; cum familiis mercatores; mancipia, & seruos omnis generis, ad octingentos, & mille, pluresque interdum capiunt; & sua omnibus præbent concluiua, pro cuiusque gradu laxa vel angusta: merces verò iis imponendas, dum iacent in littore nemo credat posse naui omnes vna contineri; cum tamen illius partem vix infimam quandoque impleant, præter comparatum mille hominibus alendis, mensium octo commeatum. His ædificandis, armandis, instaurandis non potest alia quàm regum magnificentia par esse. Sentinam inter, & testum spatia, quinque vt minimum exstant tabularis, (maxime in Gaulis veteribus, quibus multum nostri de magnitudine concedunt) illic annona cibaria, mercimonia, arma, tormenta aenea, nonnunquam octoginta, ordinatim digesta, suum singula locum habent; præter suas ad puppim, & proram speculis velut arcis illius mobilis turres duas, & propugnacula. Qui vero essent in vsu bellicos constructi, eorum latera muro cingebantur lapideo, inter crassiores tabulas medio, nec leuioribus munimentis sat tuti credebantur aduersus tormentorum globos, & tempestatum, marisque impetus, quod vbi concitatum furit, tam horrendo verbere illos quatit, vt frangi necesse sit, si debiliori armatura muniantur. Ex malis quatuor à fundo surgentibus decumanum trabes compingunt magnæ, gomphis vnam in arborem consertæ ferreis & fastigiat speculatoia corbita viginti saltem pugnatorum capax: licet verò hic tanto & corpore nitatur, & pondere, & firmis circum sublicis fulciatur, vinciatque catenis immanibus, subinde ventorum rabie pulsatus, frustatim dissilit, vt si foret arundo fragilis: antennæ demum, rudentes, vt la. duodecim, fori, anchoræ, transtra, & reliqua, huic moli respondent; navigationis tempus, ventorum ludibrium metitur; nunc tamen auctâ maiorem in modum peritiâ nauticæ, nisi qui casus aut naues deflexerit, aut tardarit, post sextum mensem Goæ anchoras mittunt. Quo temporis spatio Africæ totius circuitu fulcanda sunt miliaria ad quindecim millia.

16. Nam Vlyssipone, Maderam proras, ad quartam Africi ex magnetico gnomone obuertunt, inde ad vitandam Canariarum malaciam per exteriora Fauonij ad Palmam insulam tenditur, Promontorium viride, & mon-

15  
Moles nauium  
ex Europa in  
Indiam.

16  
Vlyssipone  
Goam it. r.

C tem.